



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1725. usque ad annum 1728

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1784

VD18 13322648

§. 69. Nicolai Caraccioli Cardinalis decessus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67667)

peracta ad suam Ecclesiam reversus, Sæc. XVIII.
 exeunte Anno 1727. in gravissimum A. C. 1728.
 incidit morbum, quo confectus die vi-
 gesima prima Januarii anno ætatis suæ
 quinquagesimo nono obiit, sepultus
 Bergomi in Ecclesia S. Alexandri.

§. LXIX.

*Nicolai Caraccioli Cardinalis
 decessus.*

Alter ex Purpuratis hoc anno defun-
 ctis erat Nicolaus Caracciolus,
 qui die octava Novembris Anno 1658.
 ex illustrissimis Parentibus Philippo &
 Zenobia de Judice natus a puero vir-
 tuti pietatique apprime deditus erat.
 Humanioribus literis applicitus in pa-
 tria, Romam venit, ubi legibus Ca-
 nonicis addiscendis tum & politicæ
 operam navabat tam egregiam, ut in
 Neapolitana Universitate Doctoris Lau-
 rea decoraretur: A teneris animum
 ad Ordinem Sacrum adjecit haud alia
 magis exercitatione quam sacra dele-
 ctatus: Unde Romam reversus in id
 unice incubuit, ut sese de Ecclesia bene
 meritum redderet: Nec ad id deerant
 Adolescenti occasiones, quippe ab In-
 nocentio XI. quarumdam Urbium Ec-
 clesiasticarum, & ab Innocentio XII.
 Perusinæ Civitatis Gubernator, no-
 mina-

Sæc. XVIII,
A. C. 1728.

minatus, demum adjecto Chalcedo-
nensis Archiepiscopi titulo Nuntius
Pontificius Florentias ablegatus est,
qua Legatione laudabiliter defunctus
a Clemente XI. Archiepiscopus Capua-
nus nominabatur, quam Ecclesiam,
nunquam interrupta Pastoralis sollici-
tudine rexerat, corruptosque mores
e Cleri & populi animis Apostolica
prorsus severitate eliminaverat. Tot
meritorum fama excitatus Clemens XI.
limatissimæ censuræ Vir, Nicolaum
Romanæ Urbis Vice-gerentem renun-
tiabat, quo in munere omnes æqui
prudenterque Judicis partes tam fide-
liter adimplevit, ut, quamvis nondum
Cardinalis esset, ab eodem tamen Pon-
tifice in suum Vicarium Generalem e-
ligeretur. Postea Romana Purpura
decoratus post Clementis XI. obitum
finitis S. Comitiis Capuam reversus
est, nec a sua Ecclesia recessit, donec
rursus obeunte Innocentio XIII. Ro-
mam ad Conclave redire juberetur,
ubi meritorum suffragio a pluribus Pur-
puratis in Papam expetebatur, ipse
vero gravissimis jamjam morbis affli-
ctus sacrum otium plaris quam ho-
noricum onus habuit, quocirca ad
suam sibi dilectissimum gregem convo-
lans, ibidem duos Anglos subito gra-
vissima morbi vi correptos ad fidem
Catho-

Catholicam reduxit, eosque ad mortis Sæc. XVIII.
 agonem feliciter disposuit. Nec minor A. C. 1728.
 fuit ejus sollicitudo pro restauranda
 Domo Dei; quippe ad reparandam,
 ornandamque Ecclesiam suam Cathed-
 ralem plusquam bis centies mille au-
 reos impendit. Postremum denique ani-
 mi solatium hausit ex præsentia Bene-
 dicti XIII. qui Capuæ lecto decumben-
 tem invisit, & per plures horas sacro
 colloquio benignissime recreavit. Tan-
 dem vero septuagenarius die septima
 Februarii pie in Domino obiit, relicta
 Præsulis Zelosissimi, integerrimi & di-
 gnissimi fama.

§. LXX.

*Ulyssis Josephi Gozzadini Cardi-
 nalis extrema.*

Sequentis Mensis Martii die vigesima
 sexta eandem æternitatis viam in-
 gressus est Ulysses Josephus Gozzadi-
 nus patria Bononensis. Parentes ha-
 buit Marcum Antonium & Juniperam
 Leoni, utrumque generis nobilitate,
 & virtutum præstantia clarissimum. Ho-
 rum cura pie educatus, Bononiæ, tum
 locupletissimo scientiarum emporio, in
 Facultatibus Philosophicis, Theologi-
 cis & Juridicis tam admirandos fecerat
 progressus, ut pluribus Italix Acade-
 Hist. Eccles. Tom. LXXII. Bbb miis